Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 279
Quelle:
Copyright:

tor, adſcriptum eſt: *Hic dicatur de quodam ribaldo in Cremsmünſter*. Codex interius utrinque membranis vetuſti cujusdam Tractatus Rabbinici veſtitus eſt.

CLXXXVII.

U. 150 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. per duas columnas probe, ſed non una manu ſcriptus, et a celebri *Thoma Haſelbachio*, ut frons loquitur, teſtamento legatus *ad domum Collegij ducalis Wienne apud fratres predicatores*, ibidem paullo infra ita deſcribitur: *Gorra ſuper Johannem ligamine bono volumine magno aſſeribus et cute ruſſa circumdatus*, quibus *Haſelbachius* propria manu ſubjecit: *Emi a facultate medicine. detur pro libraria domus Collegij* 1449. En igitur *Nicolai Gorani, Gorrani, de Gorrain, Gorrenc, Gorham*, quibusdam *Angli*, verius *Galli*, Ord. Praed. circa an. 1295. defuncti Expoſitionem ſive *Poſtillas in Evangelium Johannis*, quae cum ceteris in reliquos Evangeliſtas *Colon.* 1537. et *Antverp.* 1617. f. typis prodierunt, ut teſtantur Bibliothecarii Ord. qui de Viro ejusque Scriptis agunt T. I. p. 437. Initium eſt: *Ecce intelliget ſeruus meus* &c. *Quia commendacio auctoris redundat in opus* &c. Finis: *que Dominus Ipſe promiſit. Ipſo adiuuante qui viuit et regnat* &c.

CLXXXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 40 Folior. 252. f. per duas columnas currente calamo a variis conſcriptus Farraginem miſcellam exhibet, cujus potiora indicabimus.

I. ut e calce adſumo, *Nicolaus de Lira* O. M. *ſuper Johannem*, ut ſaepe editus. Init ἀνεπιγεαφως: *Facies aquile deſuper ipſorum quatuor* &c. et terminatur: *ad contemplandum facie ad faciem preſtante domino* &c.

II. *fol.* 76. p. 2. Sequuntur *Epiſtola Jacobi* et *Judae* Apoſtolor. absque Gloſſa, et brevicula illa in *Pauli Epiſtolas* Argumenta, quae etiam in *Bibliis gloſſatis* leguntur.

III. *fol.* 78. Monita quaedam Caſuiſtica de inſtruendis Confitentibus, juvandis Moribundis, periculis in celebranda Miſſa occurrentibus.

IV. *fol.* 79. absque inſcriptione Expoſitio Decalogi, quae infit: *Audi Iſrael precepta domini* &c. et eſt *Henrici de Vrimaria* O. Erem. S. *Aug.* jam *Vol.* ſuperiore relata.

V. *fol.* 112. Diſſertatio in illud: *Et acceperunt corpus Iheſu.* Joh. 19. v. 40. De ſacra Coena et diverſitate eam accipientium.

VI. *fol.* 114. Repetitio de Horis Canonicis hoc ingreſſu: *Repetiturus Decr. Presbiteri que eſt prima ſub rubrica de celebr. miſſe ſituata et ponitur etiam in decr. pro palea* &c. In XII. Quaeſtiones materiam hanc exhaurientes diviſa eſt cum mantiſſa.

VII. *fol.* 118. p. 2. ut e calce adſumo: *Stilus curie a Domino Bar-*